

disserendi. Ad extremum solent quidam speciebus duabus imperfectæ distributionis adjicere tertiam, quâ videlicet totum aliquod distribuitur in partes Logicas, quales sunt genus & differentia, subjectum & accidens: itemque in partes Metaphysicas, quales sunt esse & essentia, natura & suppositum, actus & potentia.

Cap. 7. Methodus investigandi distributionem.

EXtremo loco nobis tractanda est methodus investigandi distributionem; quæ constat his canonibus.

1 Distributurus rem, videat num sit universalis, vel singularis.

Res universalis & potest, & debet distribui, vel in partes, putà Logicas, quales sunt genus & differentia; vel in Metaphysicas, uti sunt actus & potentia; vel Physicas, quarum aliæ essentiales, aliæ integrales. *Res singularis* est vel simplex, vel composita. *Simplex* est solus Deus. Hic nec ut genus, nec ut totum essentiale, nec ut totum integrale considerari potest. Proinde nec dividi: unde vocatur *totum perfectionale*, & *totaliter totum*. Interim dicere possumus, doctrinam de Deo dividi posse, in partem de essentiâ, & partem de personis, & partem de operibus ipsius.

Res singularis composita, est substantia vel accidens.

Substantia singularis composita est vel incorporea, ut hic angelus, & hæc anima; vel corporea, ut Rhenus, Cæsar. Hic angelus & hæc anima dividi possunt in partes Logicas & Metaphysicas. Individuum corporeum in partes integrantes dividi debet, dummodo sit totum. Accidens singulare, ut passio Christi, itemdem in partes resolvitur.